Vallae Georgii: De expedita argumentandi ratione libellus.

in inclyta et regia civitate Cracoviensi. 1520.

GEORGII VALLAE PLACENTI-NI DE EXPEDITA ARGV-MENTANDI RATIONE LIBELLVS.

In inclyta & regia ciuitate Cracouieñ. Anno Tredecimo regni serenissimi & Inuictissimi Domini SIGISMVNDI Poloniæ Regis

MDXX.

EXIMIO ARCIVM AC SACRARVM LITTE-
rarum doctori domino Michaeli Vratislauiensi Cracouien
sis collegij maioris collegiato Cristophorus Strate
gus Steynensis se commendatum reddit

SOlet dialecticæ disciplinę doctor eximie, ac patrone co
lende, primum studium, ac cognicio (teste Aulo Gellio)
delicatis ingenijs in principijs tetra, aspernabilis, insua-
uisque, & inciuilis uideri, sed ubi aliquantulum processe-
rint, tum denique, & emolumentum eius illis dilucescere,
sequique quędam discendi uoluptas insaciabilis. Cui tamen modum
adhibendum idem Gellius suadet, ne contingat giris, & meandris
inuoluros, ueluti ad sireneos scopulos senescere. Quę res cū ita se ha
beat, consulturus pro uirili studiosis, & huius disciplinę candidatis
qui in hac augustissima nostra academia, & inprimis in nostro con-
tubernio (cui nouo cognomē est, cuius tu antistes, ac moderator Ar
go uigilantior existis) ingenuis disciplinis dant operam: quique mea
quantulacumque est minerua ad studia sua in humanioribus litteris in
terdum utuntur. aliquem libellum compendio laudabilem, & a ca-
sta, & incorrupta latinitate minime abhorrentem prelegere, ac enar
rare constitui, quem cum longo tempore, per uariorum doctorum
Augustini, Capellę, Policiani, Laurencij, Vallę, Trapesuncij, Stapu
lēsis, Volaterrani volumima sursū ac deorsū oberrans inquirerem,
Georgij Vallę de expedita ratione disputandi libellus tersus, ęmun
ctus, glaber, argutus, & fere plus q̄ hec disciplina capax esse uideatur
bracteatus, ac phaleratus, doctrinę denique istius solidioris refertus,
dignissimus michi uisus est quem omnes bonarum litterarum candi
dati nocturna uersare manu, uersare diurna debeant. Hūc typogra
phorum officinę traditurus, ne sine genio in publicos usus prodi-
ret, tu unus chartaceo hoc munere dignissimus creditus es, tum quod
de hac disciplina, testibus editis libris q̄ optime es meritus, tum quod
studiosorum omnium te singularem patronum sepicule expertus-
sū Hilari igitur fronte, libellum hunc sub tuo nomine in manus stu-
diosorum emissum, suscipe. Qui si tuo calculo probatus fuerit, per-
suasissimum habeo, omnium stomacho satisfacturū. Vale doctor
magnificētissime in annos Nestoreos. Cracouię ex contubernio Ger
manorum, decimoseptimo kalendas septembris. Anno a uirgineo
partu, supra sesquimillesimum, uigesimo

VIRTVTI ET POSTERITATI DATVM

ET PVBLICAE COMMODITATI

GEORGII VALLAE PLACENTINI DE expedita racione argumentandi libellus.

QVemadmodum qui legendi, & lectorum sensus iter scire desyderãt: primũ elemẽta ac literas discunt: inde ad syllabas, a syllabis ad dictiones, quæ partes dicunt orationis, ab istis ad oracionẽ pueniunt: Ita qui omniũ disciplinarũ cognoscere cupiũt instrumentũ: rationem disputandi, in quinq; uocibus, quæ uulgo prædicabilia dici solẽt, & categoriis quæ prædicamẽta nominãtur, primo debent erudiri. Inde ad quæstiones argumentorũ, locos, locucionẽq; transire. Postremo argumẽtacionibus cõmuniri, ut sua tueantur & aliena refellant. De simplicibus itaq; uocibus, ac significatis primo: mox de coniunctis, quam breuiter ac dilucide a nobis fieri potuerit, loquemur. Receptum igitur iam apud omnes est philosophos, predicamẽta numero decem esse, quasi omnium que in disputationẽ ueniant, quæpiam elementa: quod simplices uoces, simplicem significatũ ostendant, & per se natura suapte inspiciantur, essentia, quantitas, qualitas, ad aliquid, ubi, quãdo, facere, pati, compositum esse, habere, quæq; sub ipsis sũt, ac ab eis distributa, ut corpus, uacans corpore, animatũ inanimatũ: quod sub sensũ cadit, & sensus expers Zoophytum, quod ex stirpe & animali constat, ut Vrtica marina & spongia. sentit siquidem propius accedẽtes animal rationale & rationis expers, homo, equus, columba, scombrus, apes, aliaq; quæ insecta dicũtur. dipsas, & similia. quæ species sub essentiæ genere posi-

Simile

Prædicamenta x

tæ. Ita quæ sub ceteris iam memoratis sunt prædica/
mētis innumera. Hæ uoces ut simplices (rem eñ unã
numero referunt) ita principia sũt, quæ ad omnem di/
sputationis ingressum prædiscenda a quibus tanq̃ lite
ris ad nexum aliquem tanq̃ ad syllabas peruenim9: ut
homo, equus, uincit, currit: ut sit, equus currit, hõ uin/
Ens
Res
cit. Decem nimirum sũt hæc principia, quia neq; ens,
nec res, nec aliud simile, principii nomẽ habere ni sicõ/
Generalissima
fusũ potest. at decem iam nominatorum prima, gene/
Subalterna seu species
ralissima dicunt̃: quæ sub illis, subalterna, tũ etiã spe/
cies. quarũ quæ ultima, & a qua statim ad indiuidua
Specialissima
descensus est, specialissima nominat̃: ut homo equus,
anser. at essentia genus generalissimũ, supra quod ge/
nus aliud nõ est. Quinq; autẽ uoces quas cognitu dixi
mus necessarias. his principiis alligantur. quæ sunt ge
nus species, differẽtia, proprium, accidens, quæ inuen/
tæ sunt quo diffiniendi ac diuidendi nobis innotescat di
Differentia
sciplina. Differencia oppositionem in diuisione osten/
dit: ut substancia & accidens, corpus & incorporatũ, a
nimatum & inanimatũ, animal & uacans anima, raci/
onale irracionale. ubi est uidere hominem differẽtiam
non dici, quod indiuisione non habeat opposita: nam
homini equus in diuisione, aut aliud animal, non oppo
nitur. at species dicuntur, homo, equus, anser, pagarus
neq; animal opponit̃ zoophyto, quia nõ e regione op
ponunt̃. Alioqui differentia dicitur, qua genus exce/
dit species, ut homo, excedit eñ animal racionali: dici/
tur siquidẽ homo animal rationale: sed animal tãetsi
Proprium
rationale habet potestate, non tamẽ eciam actu. Pro/
prium in speciebus spectatur. ut est proprium homi/

nis risibile. equi hinnibile, canis latrabile. Diuiditur proprium quadrifariam. In id quod soli inest speciei, non utiq; toti, ut homini geometram esse: uel toti quidem, sed non soli sicut homini bipedem esse: uel soli & toti, sed non perpetuo, ut homini canescere: uel soli & toti & semper, ut homini risibile, qui tãetsi non semper rideat, potẽcia tamen semper, ideo non ridentem, sed risibilem dicimus, & perinde proprium est quod uniuscuiusq; suum. Accidẽs autem est quod adest & abest praeter subiecti corruptiõem. ut albor, nigror, pallor, sedere. stare. Est tamen accidens aliud quidẽ separatile, non separatile aliud. separatile quidem, sedere: inseparatile uero, aduncum nasũ esse uel repandum uel simũ, & similia. Ex his est uidere in praedicamentis faciem & immutationem quinq; uocum elucescere. Nam queadmodũ in hominis cõditiõe sũt ascẽdẽtes et descẽtes & in obliquum tendentes & cognatiões: ita in praedicamentis eam quinq; uoces faciem custodiunt. & ascendentium quidem locum tenent genera: descendentium uero species sicut oblique euntiũ differentiae. at mulier proprii: cognationes porro accidentiũ. Simplices qnoq; uoces sunt subiectum & praedicatũ. Subiectum de quo aliquid dicitur. Praedicatũ quod dicit̃ de aliquo: ut Plato disputat, hoc ipsum Plato subiectum, de quo dicit̃ disputat. Ita prisci, quibus accedimus potius quam iunioribus, qui praedicatum, subiectum, & copulam partes faciũt orationis: de qua re, ne sim hoc loco nimius, disputare in praesentia detrectabo. Praedicatũ igitur aut essẽtialiter dicitur de subiecto aut essẽtiae adherendo. si adherendo essentiae, facit accidens.

Accidens

Subiectum

Praedicatum

sin essentialiter, aut de indiuiduis dicitur & non speciebus, ac speciem facit: uel de speciebus (seu formas libet, ut Ciceroni placuit, appellare) dicitur: aut de unica specie & facit propriū. de uno siquidem solo risibile prædicatꝰ: ita de uno hinnibile, ac unumquodq; propriū de sua specie prædicatur, aut de pluribus speciebus prædicatur, & uel in eo quod quid est, ac facit genus. nam dicēti, quid est homo? respōdemus, animal. & quid animal, occurrimus, essentia. tam eñ animal quam essētia genus. essentia quidem animalis, animal uero hominis. aut in eo quod quale qd est, & facit differentiam. interroganti eñ, quale quid est animal, homo occurritur rationale, quæ differētia est: & qualis, quæ est essentia animal sciscitanti, occurritur animata sensilis. differētiæ siquidem hæ sūt animalis: sequūtꝰ utpote inferiores, species ipsū genus: inde differencia, quod proprio sit uniuersalior. inde proprium, quod essentialibus magis affine sit & cognatum, in eo quod quid est prædicatum. Post accidens, ut pote essentiæ aduentitium prædicatum in eo quod quale. Verum enimuero quoniā prædicantium quædam æquiuoce prædicātur, quædam uniuoce, quædam denominatiue, quia in libris expetendorū ac fugiendorum pluribus id prosecuti sumus, satis erit cognitiōis tenuis causa paucis cōprehendisse.

Aequiuocum

Aequiuocū igitut est, cuius nomen solum cōmune: præter nomen uero, essētiæ ratio alia: ut hæc uox canis terrestris est & marini & cœlestis. Præter nomen autem ratio esseciæ cuiuslibet horum propria ac sua est: aliam siquidem sciscitantibus terrestris, aliā marini, aliā cœlestis reddemus definitiōem.

Vniuoca

Vniuoca por

ro, quorũ nomen cõmune, & præter nomen, ratio essentiæ eadem, ut animal & homo & equus, quib9 præter nomen ratio essentiæ eadem· essẽtia siquidem animata sensibilis tam homo quam equus. Denominatiua porro, quæ ab alio casu differunt, prætereꝗ nomen habent appellationem: ut a grãmatica grãmaticus, a musica musicus, quæ & nominis & rei habent cõmunicationem, & differentiam rei, & differentiam nominis sicut eciam ostendit diffinitõ. quæ enim sũt ab aliquo, cõmunicant in eo quod ab eo, sed nõ unum & idẽ sũt: differũt siquidem casu, ut grãmatica grãmaticus, in reliquis tamen cõmunicant· Illud pariter nos ne lateat, æquiuocis e regione opponi Polyonima, rem in nominibus differentibus habentia cõmunem, ut ensis, gladius, machæra, spata· Vniuocis e regione obiici heteronyma, quæ differentiam rei & nominis habent, ut homo & albor. nam alterum animal alterum color. Locũ medium inter hæc quatuor obtinens, homonyma inq̃ polyonyma synonyma et heteronyma ẽ paronymũ. q̃tenus enim cõmunicationẽ habet nominis, assimulatᷣ æquocis seu homonymis: at dissimile polyonymis & heteronymis· q̃tenus porro nominis habet differentiã, assimulatur polyonymis, & heteronymis: at dissimile æquiuocis & uniuocis. rursus ubi rei habet cõmunicationem, assimulatur uniuocis & polyonymis, dissimile equiuocis, & heteronymis. ubi rei differẽtiã habet, assimulatᷣ æquiuocis & heteronymis, sed dissimile uniuocis & polyonymis·

Denominatiua

Polyonyma

Heteronyma

Paronymum

¶De essentia

Essentia hoc ẽ substantia

Essentia igitur res est subsistens, & per se, quatenus essentia, existens, alio nõ egens: tametsi ortui ac geniturae substet, sicut cũ primum producta est: nam solus deus ortu caret, & ꝓprie per se existit, quia ab omnibus quoddam absolutum ac seiunctum est: at reliqua praedicamenta circa essentiam. Nouem siquidem praedicamenta adsunt & absunt praeter subiecti, quae est essentia, corruptionem: quippe quae accidentis nomine nuncupantur.

Quantitas

Magnum nanq; & paruum, quod quantũ est, in ui sua non persistit, quod incrementum & diminutionem subeat ad corporis habitudinem. Continentia & parcitas maior & minor, eodem manente subiecto, ut homine. pueri siquidẽ ad uirilem aetatem excrescim[9], in eademq; essentia permanemus, quantitate differentes.

Qualitas

Itidem nunc album nunc nigrũ idem cernitur qualitate distinctum, ubi eadem essentia: & qui nunc amicus mox inimicus, differt in eo quod ad aliquid, cũ tamen essentia non mutetur,

Ad aliquid

& nunc quidem Placẽtiae, nunc uero Genuae: quod ubi est praedicamenti, nec alteram admittit essentiã.

Vbi

Praeterit nunc, & idem manet quod erat subiectum, idq; est quando.

Quando

Modo stat modo sedet, quod est cõpositũ esse:

Compositum esse

& armatum est, & inerme quod est habere.

Habere

Caedit aut secat idẽ manens essentia neutiq̃ immutata: estq; praedicamentum facere

Facere

& secat̃ quis, aut caedit̃ immutata essentia, estq; pati.

Pati

Decẽ uero nec plura sũt praedicamẽta, id qđ ex q̃dam certum est distributiõe, quae est huiusmodi. Ens aut in subiecto est, aut nõ est insubiecto, quod in subiecto nõ est, facit essentiã, quod in subiecto, aut per se inespicit̃,

aut non per se. quod nõ per se facit ad aliquid, affecta siquidem sunt quæ ad aliquid, ideo non per se spectantur, & alium referunt. Filius enim patrem refert, seruus autem dominũ, & frater fratrem, & prorsus quæcunq; sunt ad aliquid talia. Quod porro per se, aut diuisibile est & facit quantum, aut indiuisibile & constituit quale. Reliqua sex prædicamenta ex horum mixtione gignuntur. Essentia nanq; cũ quanto mixta uel in loco spectatur, & ubi prædicamentum facit: uel in tempore, & quando efficit: cũ qualitate mixta uel actionem habet, estq; facere: uel passionẽ, & est pati. Cũ eo autem quod est ad aliquid cõueniens, uel in alio ponitur & compositum esse dicitur: uel ei accõmodatur atq; adiicitur alterum, estq; habere, Item circũprehendit & facit habere comprehẽdit enim tunica corpus: & uirtutes & uitia animam. Rursus quemadmodum essentiæ, ita & quantitati nichil est cõtrarium ob hoc inuicem communicãtia sunt proxima, qualitas anteit quod est ad aliquid: quoniam quale per sese est: ad aliquid autem affectum, ac in relatione positum est. Reliqua his substruũtur. Vbi nãq; præcedit Quãdo: quod locus immobilis. tempus uero mobile. atqui quies motum præcedit, & principiũ ortum ipsum, & immobilitas motum. Facere antecedit pati, quoniã facere quam pati nobilius est. Compositum esse præcedit habere, quod poni q̃ circumponi simplicius. Rursus essentiæ suũ & peculiare est non suscipere magis & minus, nõ enim magis animal homo q̃ equus. Qualitatis autẽ, suscipere magis & minus, album siquidem magis & minus dicitur, ita cætera accidẽtia qualitatis. Quantitatis

Proprium essentiæ.

 proprium

proprium est æquale & inæquale, ut palmus, ulna. ut tres tertiæ ulnæ unius, uni ulnæ æquales, & quinq; & decem inæqualia. At bis quinq; ipsi decem æqualia. Eius porro quod est ad aliquid proprium, est opposita colligere: Nam patre existente est etiam filius, & domino existente est seruus. Vbi proprium est comprehensio. sicut ipsius Quando non permanere, sed effluere: Facere est actio, ut pati passio. Compositū esse est proprium situs, ut habere adiectio. Diuiditur autem essētia in corpus & uacās corpore. Corpus in animatum & anima carens. animatum in sensibile & sensu uacuum: sensibile in animal & zoophytum. rursus animal in rationale & ratione carens. Species autem ultima, ut homo: in indiuidua, ut Socratem, Platonem, Georgium, Eucarpum. Quantitas diuiditur in lineam, superficiem, corpus, locum, tempus, numerum, & orationem. Et quantum quidem aliud est continuum, aliud discretum. Continui quinq; sunt nominatæ species, discreti reliq̄ duo numerus & oratio. Rursus quāti quoddam est situm habentium ad se inuicem earum, quæ in ipsis constiterunt particularū, ut linea, superficies, corpus, locus, quoddam non habentinm situm, ut numerus, tempus, & oratio. nam licet tempus sit cōtinuum, non tamen etiam habet positionem: quod nō per stet. at quod non per stat, quo pacto positionem habere potuerit? Rursus a quanto quatuor effluunt matematicæ. nam continuum uel immobile est & Geometriam facit: uel mobile & procreat Astronomiam: discretum uel per se inspicitur & facit Aritmeticam: uel ad alterū affectionem habet & facit Musicam. Qualitas diuiditur

[Margin: Diuisio essentiæ]
[Margin: Quātitatis]
[Margin: Qualitatis]

ditur in habitum, & affectionem passibilem qualitatē, & pasionem: potentiam & impotentiam: figuram & formam. Habitus est intētio affectionis & in se permanentiæ ex iugi & exercitata actione, ut in naturā transire uideatur, & quædam comparata usu natura habitus etiam nomen obtinent, quæ a natura sunt nobis insita nedum affectione: ut uisus & cæteri sensus. Pasiua qualitas similiter est pasionis incrementum, intensioq; difficulter delebilis, planeue indelebilis. nō defuerūt philosophi, q in morib9 pariterq; disciplinis habitum dicerent: pasiuamq; qualitatem in ira, odio, reliquisq; perturbationibus ex languore. Caliditates porro &, frigiditates nūc in habitu & affectione ponerēt, nunc in pasiua qualitate & ægritudine: & proinde a participando habitus uel affectio iure dici uidetur caliditas. ab alterando autem pasiua qualitas uel pasio. Potentia ut in infante cum dicimus cursorem uel iracūdum esse. potētia grāmaticum uel musicū uel astronomum, & omnino eorū quæ in præsentia non posit exercere: at temporum accesu contingens, ut id posit efficere. Impotē uero eum, qui capax nō est natura ad aliquam olim obeundam actionem: ut homini uolare imposibile est, & aquilæ in aqua uitam ducere, & equo sermocinari, & cætera quæ factu imposibilia. Figura dicit linearis effictio, reiq; alicuius expresio. Forma prominēs qualitas, substātiaue & idea, & informatio, & interpolata coloratio. Sunt qui figurā in rebus accipiāt inanimatis: Formam uero in rebus animatis. Alii figuram quidem fastigiose procedentem: Formam uero supernam uocant superficiem. Ad aliquid generali

Habitus

Pasiua qualitas

Potentia

Figura

Forma

us distributum, quadrifariam diuiditur. Cui sententiæ Grãmatici quoq; astipulantur in naturam, fortunam, artem & propositum. Vbi distribuitur simpliciore modo in sursum, deorsũ, ante, pone, dextrorsum, leuorsũ, sed horum singula uariã habẽt affectionem: nam eius quod est sursum, multæ differẽtiæ, in nubibus, in æthere, in astris, ad polũ, supra polum. Similiter deorsũ, & reliqua, in infinitum particularioribus locis euariantur. Quando autem diuiditur in præsens, præteritum, & futurum tempus. Præsens indiuiduum: reliqua diuiduntur. Facere distribuitur in rem, & orationẽ, & sensum interiorem. Actio per manuum exercitium, perq; instrumẽta omnia: & horum singula in suas actiones: sermo in omniũ nationum idiomata. interrogãti nãq;, qd hic mihi facit? occurrim9, sermocinat᷑ differit, intelligentia excutit. Pati in ea quæ in anima sũt, & quæ in corpore: quæ passiones sunt infinitæ. Compositum esse distribuitur in statum, sessionem, recubitum: quorum singula suas habent differentias. Nam status est uel in tota planta, uel in extremis digitis, uel geniculãtibus: uel ascensu æquali uel inæquali, ambobus pedibus, uel uno cruris nixu. Sessio quoq; recta, prona, supinata, alterna poplitis in genua mutatione, & similibus, Recubitus pariter supinus, pronus obliquus, atq; ita in cætera. Compositum esse quoq; est uidere, ut in aceruo frumẽti, harenæ: ut in oleo, aq̃, & similib9. Et uariis agẽdi figuris Habere distribuitur, sicut in armatum uel quomodocunq; tectum esse: Permutatione aliqua aut impositione: ut in modio in fidelia, reliquisq; uasis, dicimus nãq; modium habere triticum, uinumue

Marginal notes: Vbi. — Quando. — Facere. — Pati. — Compositum esse. — Habere.

habere fideliam: In possessionem: ut cum quis habet opes, iugum, fert uel habet & similia.

¶De quæstionibus.

EXpositis simplicibus rebus ac uocibus, de quibus omnis oritur ābiguitas, cōsequēs uidetur ut ambiguitatum siue quæstionū genera ostendamus, quæ ueterū consensu philosophorū, aut soli deo, uel nature cælesti sūt cognita: aut omnibus obuia: aut solis peritis hominibus explorata. Quæ soli naturæ cœlesti cognita: nefas indagare: quæ omnibus certa: delyrum est disputādo exquirere. sola restant igitur peritis duntaxat explorata, ratione & intelligētia patefacere: quorum ratio est omnino quadripartita. Quæritur siquidem, an sit, quid sit, quale sit, & cur sit. An sit: ut an Vlysses Aiacē occiderit. an ultra Indiam sint populi: an Genua a Magone Pœno sit diruta, & a Rhomanis restituta. Quid sit homo: quid sit eclipsis. quid sit continentia: quid sit Helectrum. Quale sit: ut qualis sit Indica natio. qualis fuerit Plato. qualis Nardus Celtica: qualis Neroniana uita. Cur sit: ut cur cœlum rotūdum: cur homines ciuitates condiderint. cur leges quibus tenerentur, sciscēdas esse existimauerint. cur Gallorum rex in Italiam duxerit exercitū. Proinde, An sit, cōiectura explicatur hoc modo: ut cū quæritur, natura ne sit ius inter homines, an opinionibus: aut cum quæritur, quæ fuerit origo cuiusq; rei, ut quæ origo grāmaticæ aut rhetoricæ, disciplinarumue reliquarum: aut de interitu: ut num sit in homine uirtus interitura. Quid sit, deffinitiōe explicatur: ut cum quæritur. quid sit iusticia, quid sit sacrile

An sit. Quid sit. Quale sit. Cur sit. An sit. Quid sit.

gus·quid ſit æther·proprium ne ſit recte loqui gram/
matici: & ornate dicere ſit ne proprium oratoris .aut
quot ſunt partes orationis,quot ſunt uirtutū genera.
aut ſi quæritur,quæ ſit natura auari,ſeditioſi,glorioſi,
Quale ſit insulſi. Quale:ſit ne appetenda gloria,an expetēda pe
cunia.laus ne an opes magis expetendæ.nū fugienda
paupertas·æquum ne ſit ulciſci iniurias.honeſtum ne
Cur ſit ſit gloriæ cauſa mortem obire.Cur ſit,finē ſpectat &
coniectura explicatur.

¶De ſedibus argumentorum,
pariterq; argumentis.

POſteaq̄ quæſtionum genera cognita ſunt,
ut omnis ſoluatur ambiguitas,opus eſt ar
gumentis:quæ ut arte deprehenſa tenean
tur,quibus de locis eruantur inſpiciēdum
eſt,Et quoniam dialecticorum ſeu probabilium cupis
habere cognitionem,demonſtratiuorum & ſophiſtico
rum locos miſſos faciemus,quos tibi in noſtro magno
licebit opere expetendorum ac fugiendorum intueri:
nunc demum probabilibus erimus contenti.Sunt er/
Loci go Loci,unde probabilia educuntur argumenta,argu
mentorum ipſorum ſedes:quorum alios extra dicendi
ratiōem ad id quod in controuerſia poſitum eſt,com/
probandum accipimus.alii,quos ex cauſa trahimus.
illos artis expertes,hos artificiales ſolemus appella/
re·Ex illo priore genere ſunt præiudicia,rumores,tor/
menta,tabulæ,iuſiurandum,teſtes,ex altero ſūt ex to
to,ex partibus,ex nota,ex cōiugatis,ex genere,ex for
ma,ex ſimilitudine, ex differentia,ex contrario,ex ad/
iunctis,ex antecedentibus,ex conſequentibus,ex repu
gnantibus,

gnantibus, ex causis, ex effectis, ex comparatione ma iorum, ant parium, aut minorum.

Præiudicium itaq; dicitur res, quæ cum statuta fuerit, affert iudicaturis exemplum quod sequantur: ut a senatu aduersus Milonem. Confirmãtur præcipue duobus, autoritate eorum qui pronunciauerunt, & similitudine rerum de quibus quæritur, erit ergo a præiudicio argumentum huiusmodi. Senatuscõsulti de hac re præiudicium latum est: non est ergo quod de ea plura dicamus. nã aduersus consulta senatus, decretaue principum uel magistratuum, remedium nullum est. Prçiudiciũ

Rumor ac fama publicũ testimoniũ est: quod qui uult infringere sermonem uocat sine ullo certo autore dispersum: cui malignitas dederit initium, incrementũ credulitas: quod fraude inimicorum alicui possit accidere innocentissimo. Rumor Fama

A tormentis probamus, cum dicimus inuentã eiusmodi in quæstionem ob uera fatendi necessitatem. Cõtra tormenta, dicit ipsa esse plerumq; causam falsa dicendi: quod aliis patientia facile, mendacium faciat aliis infirmitas necessarium. A tormẽtis

A tabulis, aut protabulis, aut contra tabulas: quas scimus refelli ac recusari, id notius est argumẽtandi genus, quam ut pluribus hoc tẽpore uideat explicãdũ. A tabulis

A testimoniis argumentamur, circa quæ patronis causarum sudor. pro testimoniis & contra testimonia quo pacto argumentandũ, res ipsa nos admonebit. A testimoniis.

A iureiurando argumentabimur, magnum momentum uideri, a uiri autoritate inductũ, aut a uiri improbitate refellemus. A iureiurando.

Peruulgata

Peruulgata satis hæc sunt argumentorum genera quæ artis dicũtur expertia: & ex ea quæ agitur causa, facile nobis suggerũt: quare ad artificialia trãseam9.

A toto. A toto igitur ducitur argumentum, cũ quod in quæstione positum est, definiendo comprobamus. Definitio proprie per genus & differentiam fit: ut homo est animal rationale. rhetorica est ars bene dicendi. sed aliquando loco definitionis utimur descriptione: ut homo est animal bipes, cui9 caput in cœlum atollitur: & binæ ab humeris dependent manus, & eo modo reliqua. Si ergo quæstio de toto aliquo, ea definiendo diluitur. Est autem definitio, ut plato inquit, breuis oratio, subiectæ rei naturam ostendens. ut autem Aristotiles, Diffinitio est oratio, quæ id quod diffinitur, explicat quid sit. hæc igitur proprie per genus & differentiam, ut diximus, id facit, sed aliquando etiam diuidendo: ut genus in species, aliquando partiendo, ut totum in partes: ut si fuerit quæstio de animali, quid sit, de toto animali quæritur. per genus ergo & differentiã diffiniendo diluo quæstionem: cũ dico, animal est substãtia animata sensilis. diuidendo autem idem ostendo oblique dicendo, animal est quod partim in terris, partim in aquis, partim in aere uitam ducit. Partiẽdo hoc modo: animal est quod anima constat sensibili & corpore. Aliquando definimus a contrarii remotione: ut Horatianum illud, Virtus est uitium fugere, sapientia prima Stulticia caruisse, Si fuerit ergo quæstio, an cõcha maris sit animal, a toto nempe ab animali traho argumentum per definitionem, dicẽdo, animal est substantia animata sensilis: concha maris est substantia animata

Definitio.

nimata sensilis, ergo con: ha maris est animal. Ex partium enumeratione trahitur argumentum: ut si quæratur, an mõtis crypta sit domus, diluit quæstio hoc modo: domus constat solo, fundamento, ac parietibus consurgit: & tecto superne contegitur: crypta non est huiusmodi, non ergo domus.

A nota uerbi seu etymologia locus ducitur argumẽti, cum quod in quæstione positum est etymologia dissoluitur: ut si quæratur de quopiã, an sit locuples, ab etymologia argumentabor hoc modo: Locuples est q locis abundat: abundat autem locis ille, est ergo locuples. potest & per negationem cõprobari: ut quod ex humo non est, id non est homo: nõ est autem ex humo anima, non ergo anima est homo. — A nota uerbi seu etymologia.

A coniugatis. Coniugata dicuntur quæ sũt ex uerbis generis eiusdem: ut prudens, prudentia, prudẽter, ut si quæratur de quopiam, sit ne prudens, arguetur hoc modo: Prudenter agit, ergo prudens est. Ita iustẽ agit, ergo iust9: ager ẽ cõpascuus, ergo licet cõpascere. — A coniugatis.

A genere. Sicut a toto diximus partes comprobari partiendo, ita a genere species diuidendo comprobamus. Nam cum rhetorica in partes diuidatur, inuentionem, dispositionem, elocutionem, memoriam, & pronunciationem: si quid fuerit harum partium, ostendemus esse inter partes rhetoricæ collocandum. At cũ ẹ iusdem artis sint species, demonstratiua, deliberatiua, iudicialis, in quas rhetorica genus diuiditur: ostendemus si qua oratio structa in harum aliqua fuerit specie, totam eo cõfluere rhetoricã, & partes ipsius ibidẽ inueniri: & si quis moriens legauit argentũ uxori om- — A genere.

 ne suũ,

ne suum, quæratur num etiam numerata domi pecunia legata sit, a genere eruetur argumentum hoc modo, Omne argentum uxori legauit maritus, atqui numerata domi pecunia argẽtum est: ergo & numerata domi pecunia legata est.

A forma siue specie.

A forma siue specie, est cum sicut a partium enumeratione totum comprobari diximus: ita a specie genus demonstratur, quæ hoc modo distinguntur, Si totum uelimus ostendere, omnes nobis partes sũt ostendendæ: nam si orationis partes nõ octo, sed pauciores attingamus, non poterimus omnem orationẽ illis concludere. uelut si rhetoricam tanq̃ totum quoddam uelis per inuentionem & dispositionem comprehendere, non possis: Contra uero ipsam tanq̃ genus ostenderis, una duntaxat expressa specie, uel iudiciali, uel deliberatiua, uel demonstratiua: ut rhetorica deprehẽditur, ubi iudicialis fuerit oratio. Vt quoniã respublica ueterũ fere consensu tres habet species, quæ populi, quæ paucorũ, quæ unius potestate regatur, ad genus quod est respublica constituendum una harum satis erit?

A similibus.

A similibus argumentum est: ut si cõtinentia uirtus est, & abstinentia. si fidem debet tutor, & procurator, ac sicut in inductione de qua post: ubi de argumentatione interrogando: ut prudentia ne est uirtus, & iustitia non est? Item si feræ partus suos diligunt, qua nam in liberos nostros indulgentia esse debemus?

A differentia.

A differentia, non si læticia bonum, & uoluptas. non quod mulieri idem & pupillo. si barbarorum est in diẽ uiuere, nostra consilia sempiternũ tempus spectare debẽt, ac in utroq; genere & similitudinis, & dissimilitudinis

dinis exempla ponunt oratores ex aliorum factis, aut dictis, aut euentis: fictæq; narrationes plerunq; ponunt.

A contrario. Si Gracchus nefarie: præclare Opimius. Si frugalitas bonũ, cur non malum luxuria? Si malorum causa bellum est, erit emendatio pax. Si ueniã meretur quod imprudens nocuit, non meretur præmium, qui imprudẽs profuit? per interrogationem: ut Horatianum illud, descriptas seruare uices operumq; colores, Cur ego si nequeo ignoroq; poeta salutor? & rursus: Cur nescire pudens praue, quã discere malo?

A contrario.

Ab adiunctis: Si pietati summa tribuenda laus, debetis moueri cum Q. Metellum tam pie lugere uideatis. Si bonum iusticia est: recte iudicandum. si malum perfidia: non est fallendum. quod quis nõ habuit, quomodo perdit? quem quis amat, sciens non lædit. Quẽ quis heredem suum esse uoluit: charum habuit,

Ab adiunctis.

Ab antecedentibus. Si uiri culpa factum diuortiũ: & si mulier nuncium remisit, tamen pro liberis manere nichil oportet. Si natũ est, morietur. Si multis cumulabat officiis: diligebat, colebat.

Ab antecedentibus.

A consequentibus. Si & ferro ille interfectus, & tu inimicus, & cum gladio cruento comprehensus in illo ipso loco, & nemo præter te uisus est, & causa nemini fuit occidendi, & tu semper audax, quid est quod de facinore possimus dubitare. Item ut pro Opio Cicero, Quos educere inuitos in prouinciam non potuit, eos inuitos retinere qui potuit? Consequens em̃ est eos qui inuiti duci non potuerunt, inuitos non potuisse retineri. rursus, Si portorium Rhodiis locare honestum est, & Hermocreonti conducere. & quod discere honestũ

A consequentibus.

est, & docere. Idem efficit Domicii Afri sententia, ego accusaui uos damnastis. Consequensq; natus est: ergo morietur.

Ex repugnantibus.

Ex repugnantibus: qui sapiens est, stultus nõ est, ut Crassi illud, Non si Opimium defendisti Carbo, idcirco te bonum ciuem putabant: simulasse te & aliud quidem quæsisse perspicuum est: quod Gracchi mortem sæpe in concionibus deplorasti: quod P. Africani necis socius fuisti: quod eam legẽ in tribunatu tulisti: qđ semper a bonis dissensisti: Et per interrogationem unde peracuta efferũtur enthymemata: de quibus mox, hoc modo, Paucos ciues metuis occidere: ne respublica intereat nihil allaboras? Hunc quem non accusas, damnas: & quem de te benemeritũ autumas esse, male mereri acclamitas? Item id quod scis, prodest: & id quod nescis, non obest.

Ex causis.

Ex causis. ut auaritiam si tollere uultis, mater eius tollenda luxuries. Si sapientia bonum uirum facit, bonus uir est utiq; sapiens. ideoque boni est honeste facere, mali turpiter: & qui honesta faciunt boni: qui turpia mali, recte iudicantur. Hoc genus ad exhortandum plurimum ualet: uirtus laudem facit, sequenda igitur: at uoluptas infamiam, fugienda igitur. Scientia gloriã parit, discendum igitur. Imperitia rerum, contemptũ gignit, uitanda igitur.

Ex effectis.

Ex effectis non difficile fuerit trahere argumentũ. nam ut causa quid sit futurũ indicat, ita quod effectũ fuerit causã demonstrat. dies est, ergo sol lucet sup terram: peperit, ergo cum uiro concubuit. Hic locus oratoribus & poetis, & quandoq; philosophis: ac eis omnino,

nino,qui ornate & copioſe loqui poſsunt,ſuppeditat mirabilem copiam dicendi,cum denunciāt quid ex q̃q; re ſit futurum. Cauſarum nanq; cognitio,cognitionem facit euentorum. ſuas tamen effectorum cauſas oportet adducere: nam ſicut corpus in lumine umbram neceſsario facit,& ubicūq; eſt umbra,ibi eſse corpus oſtenditur,ita neceſsariū non eſt,ut qui coloratus,a ſole ſit. iter quoq; puluerulentum facit,ſed non omne iter puluerem mouet neq; quiſquis puluerulentus,ex itinere eſt.

Ex comparatione maiorum. Si bona exiſtimatio diuiciis præſtat: & pecunia tantopere expetitur,quanto gloria magis expetenda eſt? Si quis ſacrilegium facit, faciet & furtum. Si adulterum occidere licet,& loris cædere. Ex comparatione.

Ex minore: hic paruæ cōſuetudinis cauſa huius fert mortem tam familiariter,quid ſi amaſset? quid hic mihi faciet patri? rurſus,qui facile ac palam mentitur,peierabit. Iterum. Si furem nocturnū occidere licet,quid latronem? Ex minore.

Ex pari: ut,Eſt eiuſdem & eripere contra rempublicam,& largiri pecunias. iterum,Qui ob rem iudicandam pecuniam accepit,& ob dicēdum falſum teſtimoniū accipiet,rurſus,Quæ pœna aduerſus patris interfectorē iuſta eſt,eadē aduerſus matricidā iuſte infligit. Ex pari.

¶ Qui loci quibus congruant quæſtionibus.

MEmorati hactenus omnes loci ad quæſtiones pleraſq;,ſed alii ad alias aptiores. Ad coniecturam igitur maxime apta,quæ ex cauſis,quæ ex effectis,quæ ex coniunctis

ſumi poſ-

Ad quæstionem, an sit.

sumi possunt. Ad definitionem autem pertinet ratio, & scientia definiendi: atq; huic generi finitimum est illud quod a Cicerone appellatur de eodem & de altero: quod genus forma quædam est definitionis. Nam si quæratur, sit ne idem pertinacia & perseuerantia: rex & tyrannus, tutor & curator, definitionibus iudicandum est. Loci autem conuenient in definitione consequētes, antecedētes, repugnātes, & adiuncti: & præterea qui ex causis & affectis: ut si hanc rem illa sequitur, hanc nō sequitur. aut si huic rei res illa antecedit, huic non antecedit: aut si huic repugnat, illi non repugnat: aut si huic rei hæc, illius alia causa est, aut si ex alio hoc, ex alio illud effectum est. ex quouis horum id de quo quæritur, idē ne an aliud sit inueniri potest. Ad tertiū genus quæstionis, in quo quale sit quæritur, cadunt quæ in comparatione sunt memorata, quæ expetenda, quæq; fugienda, animi, corporis, & externa cōmoda uel incommoda. Cum de æquo & iniquo quæritur, æquitatis loci colliguntur, qui sūt & natura & instituto. natura ut quilibet sua tueatur. Instituto aut lege, aut pacto, aut moris uetustate cōfirmata. Omnia, suggerunt nobis argumenta itidem pietas, sanctitas, iusticia, aut æquitas amentatas nobis ad ineundū certamen hastas abunde suppetunt. Quarto generi cur sit, cōueniunt omnes qui coniecturæ loci sunt a nobis dicti. Deniq; cum sint quæstionum genera duo præcipua: unum infinitum, quod thesim Græci, nostri propositum: alterum finitū, quod illi hypothesim, nostri causam uocant: ac de primo satis multa hoc tempore dictum sit: paucis secūdum quoq; concludamus, quod solum

Ad quæstionem, quid sit.

Ad quæstionem, quale sit.

Ad quæstionem, cur sit.

solum temporis, personæ, lociq; complexu cōtinetur.

¶De quæstione causæ.

REbus itaq; in omnibus argumētamur, aut ex eo quod personis, aut ex eo quod negociis attributum est. Personis quidem attribuūtur, nomen, natura, uictus, fortuna, habitus, affectio, studia, consilia, facta, casus, orationes.

Nomen quo singuli nominātur proprio ac certo uocabulo. ab eo sæpe etiam poetæ aliquod sibi assumūt ad probandum improbandumue, argumentū: ut plautinum illud in Bacchibus, adeon me fuisse fungum, ut qui illi crederem: cum ipsum mihi nomen eius Archidemidis clamaret, ademptuturum esse si quid crederē. Loci quoq; nomen præbet argumentum: ut idem poeta in fabula quæ Menechmi inscribit: Propterea huic urbi nomen Epidamno inditum est, quia nemo ferme huc sine damno diuortitur. Natura aut diuina, aut humana. humanę una uirilis, altera muliebris, natio quoq;, ut Græca Latinaque, aut barbara. pria, ut Genuensis an Veneta. cognatio, ut qui maiores, q cōsanguinei, ætas, puer an adolescēs, uel natu grādior, præbent argumētum. Commoda quoq; & incommoda in natura cōsiderantur, animo corporiue insignita: ut ualetudo, imbecillitas, longitudo. breuitas forma, deformitas, uelocitas, tarditas, acumen, hebetudo, memoria, obliuio, comitas, officium, prudentia, patientia, & contraria. & deniq; talia omnia quæ a natura inuehūtur: Nam similes parentibus ac maioribus suis sæpe filii creduntur, ut inde honeste turpiterq; uiuendi causæ fluant. Sui quoq; nationibus & gentibus sunt mores, patria:

Nomen. Natura.

res. patria: quoniam ciuitatum leges sunt, & instituta, & opiniones. sexus: ut latrocinium facilius in uiro, ueneficiū in fœmina credatur. Aetas: quia aliud aliis animis magis conuenit educatio & disciplina. quoniā refert plurimū, a quibus, & quo quisq; sit institutus. ducitur quoq; in argumentum, species libidinis: ut robur petulantiæ. atq; in uictu hæc spectabūtur. In fortuna: seruus an liber. locuples an pauper. priuatus an cū potestate: & ea iure ne an iniuria. felix & clarus: an contra. q̃les liberos habeat: & si de mortuo quæritur, q̃li morte decesserit.

Fortuna.

Habitus.

In habitu, ut trahi argumēta inde possint, cōsideratur animi aut corporis cōstans & absoluta aliqua in re perfectio, uirtutis artis ue alicuius perceptio: corporis quoq; aliqua commoditas, non natura data, sed studio & industria parta.

Affectio.

In affectione animi aut corporis, ex tempore aliqua de causa cōmutatio: ut lætitia, cupiditas, metus, molestia, morbus, debilitas, & id genus alia. In studio, quod est assidua & uehemēs uolūtatis in re aliq̃ occupatio: ut grāmatica, rhetorica, geometria, mercatura.

Consilium.

In consilio, quid adhibuisse uideri potuerit ex eis quæ tentauit aut peregit.

Facta.

In factis, in casu, in oratione, quid fecerit, quid acciderit, aut quid dixerit. Hæc ac talia personis deputantur: unde uis argumentorū nō parua erui potest. In negociis quid antecesserit, q̃d in re ostendatur, quid cōsecutū sit spectatur, causa quoq; omniū cōsideratur. Capitur argumētū a loco, a tēpore, a modo, ab occasione, a facultate, ex opportunitate in quā loci, ex magnitudi-

ne, ex

ne, ex interuallo, lōginquitate, propinquitate, solitudine, celebritate: & natura loci commoda uel incommoda ad id perpetrandum, de quo est quæstio. In tempore. interdiu an noctu: præsens, præteritum, futurū, suggerit argumenta. Nam iamdiu facta, in fabularum uidetur numerum peruenisse. Consyderatur etiam quid ocyus & quid ocyssime, aut contra: uti magnitudo negocii, multitudoue melius colligatur. Occasio est tempus habens in se alicuius rei idoneam faciendi aut non faciendi opportunitatem. ac sicut in tempore spaciū, ita in occasione spectatur opportunitas. hæc aut publica, aut communis, aut singularis. Publica, ut ludi, dies festi, nundinæ, bellum. Cōmune quod stato fit tempore: ut messis, uindemia, æstus, frigus. Priuatim, ut nuptiæ, funus, conuiuium, somnus. In modo: quemadmodum & quo animo factum sit, auguramur. Cuius partes, prudentia & imprudentia, inscitia, casus, necessitas. In facultatibus, quomodo facilius confici uel nō confici de quo quæritur potuerit. Hi fere, & consimiles sunt loci, unde educi fere ad omnem diluendā quæstionem possunt argumenta. Occasio.

¶De locatione argumentationis.

SVperest ut de argumentationum locatione dicamus. In qua re tractanda, ne ex facili dificilem faciamus aggressum, multa (meras plane præstigias) omittemus quæ ad argumentandum mentem non modo non explicāt aut adiuuant, sed implicant atq; præpediūt. quis nāq; hypotheses (suppositiones nominare solent isti) citra cuiuspiam traditionem proponere nō cognouerit? aut

propositas confusa omni abacta barbarie non deprehenderit? Nam proponentem, omnis homo est omnis homo, quis non cernat falsum enunciare, idq; ex loquendi more: terminorum expositionem, uerborum & orationum interpretationem solent barbari homines appellare: quæ prorsus ridicula, sermonumq; laruæ quædam sunt, qd' ab usu omni remotæ ciuili sint. Deinde hæ, si quæ paulo remotiores fuerint loquendi consuetudines de grãmatica facultate usuq; dicendi clarissimorum autorum, facile percipi possunt, atq; innotescere. ut non Aristotilicum, non Platonicũ, non cuiusq̃ alterius eminẽtis philiosophi iudiciũ hæciure attingeda censuerit: facessant ergo ista a nobis quoq;, quæ dissentibus non tam prosunt quam officiunt. Quid porro unamquamq; rem consequatur, aut non consequatur, Consequentias isti uocant, memorandum existimarem, nisi apud prudentes non inquam stolidos me facere uerba cogonscerem: quos modo in uerbis caligo nulla, ambiguitas nulla occurrat, quidnam demum potest occurrere? Reliquum igitur est, ut ea duntaxat prosequamur, quæ ad argumentationis structuram faciunt, quæ doctissimi etiã philosophi quiq; aperiẽda putauerunt, quæ eatenus negligẽde non sunt, quatenus es quæuis diluitur ambiguitas, si modo certis definitisq; rationibus concludantur Cum igitur omnis argumentatio rebus & uerbis constet, ac de rebus satis dictum: superest ut uerba & uerborum structurã ostendamus. Argumentosæ igitur cuiuslibet orationis duæ omnino sunt partes, nomen, & uerbum, siquidem quæcũq; istis adiiciuntur, non tam partes quam partiũ adminicula,

& uelut

& ueluti pedamenta quædam nominanda sũt. Nomẽ, ut Plato. Verbum, ut disputat. ut sit explicata oratio, Plato disputat. Accidentia orationis sũt, Vniuersalis, Particularis, Iindefinita, Singularis: quæ quantitatem exprimũt. Vniuersalis, ut q̃libet homo est risibilis, Indefinita, homo est risibilis. Particularis, Eucarpus ratiocinat̃. Singularis hic ambulat. Item ut sit, aut simplex, aut connexa. Simplex, ut dies est. Connexa: ut si dies est, nox non est. Necnon negandi, aut aiendi qualitate insignitur: ut Eucarpus legit, Eucarpus non legit. In quibus omnibus bini consyderandi sunt termini: qui subiecti ac prædicati nomine iam recepto apud om̃es solent nũcupari. Est autem Subiectum de quo aliquid dicitur quod subsideat pasſionibus: ut Eucarpus ridet. est siquidem Eucarpus, in quo ridendi pasſio. Prædicatum ipsum est uerbum in quo inclusa ea pasſio, quæ in esse cuipiam dicitur. nec audiendi qui trifarie partiuntur oratiõẽm, in prædicatum. subiectum, & copulam. copulam uerbum ipsum iuniores appellando: quid enim magis ridiculum est, quam ita omnem resoluere orationem, ut pro eo quod est Plato disputat, dicas, Plato est disputans, consuetum loquendi modum peruerse, barbare, rusticeq; immutando. quam enim ridiculũ sit, loquendi modum ab iis potisſimũ discere uelle, qui ipsi loqui nesciant: nam cum dico, Plato scribit, id scribit dialogos, ꝓ una re ac pasſiõe accipio, quæ de Platone dicitur, prædicatumq; id totum nominandum: sicut nihilominus cũ dico, Plato est philosophus: quippe quod id ipsũ est philosophus, res una est tãquã sit uoce una enunciata. Mens siquidem humana ita pla

Nomen. Verbum. Vniuers. Part. Subiectum. Prędicatum.

d 2 ne conci

ne concipit non minus, quam si adhuc plures adiicias passiones. ut Plato est philosophus disputator egregius. facessăt ergo nugatoriæ ac prærancidæ tales resolutiones, quæ orationes enormant, disputantem implicant, & rerumpropemodum nullam secum afferũt explicationes atq; cõmoditatem. Ex iis itaq; connexa

Enunciatio.

oratio, enunciatio nuncupatur. ea in argumentatione

Propositio.

ut syllogismo collocata, si in primo loco propositio, si

Asumptio.

in secundo assumptio, si in tertio connexio. uel cõple-

Complexio.

xio a priscis linguæ Latine uiris, a iunioribus mendose conclusio solet appellari. ut si quæstio oriatur, sit ne utilis dialectica: texatur hoc modo epichirema, Vtilis est quæuis sciẽtia uerum a falso discernẽs: hæc propositio. est autem huiusmodi dialectica: hæc assumptio. ergo utilis dialectica: hæc complexio. Omnium porro enunciationum, ex quibus quæ in subiectis sunt passiones, indicantur: quædam citra medium ullum fidem faciunt, a cunctisq; hominibus recepte sunt. quædam non omnibus. Quæ igitur ab omnibus receptæ

Axiomata.

sũt quod fidẽ secum ferant, nominantur a Græcis Axiomata: a Latinis autem, effata & communes notiones: ita nanq; ueteres: Iuniores uero, animi conceptiones. Quæ porro non omnibus insident, nec satis rece-

Theses.

ptæ sunt, sed quibusdam duntaxat theses Græce, Latine positiones appellantur. Quæ unumquodq; astruunt, definitiones dicuntur. Quæ uero ex alio aliud pro-

Hypotheses.

nunciant, communi nomine hypotheses. Hypothesũ autem quædam ueræ & creditæ ab eo qui discit admittuntur, ob capiendam scientiam. Aliæ non creduntur. quæ itaq; creduntur discentibus admissæ proprio nomine

mine æquiuoco generi hypotheses: quæ uero non cre-
duntur, petitiones dici solent. Ex his igitur orationib9
omnes texuntur argumentationes. Argumentationũ
genera sũt duo, Syllogismus seu Epichirema Græce: Syllogismus. Epichirema.
at Latine hoc aggressio, ille ratiocinatio: & Epagoge Epagoge.
a Græcis dicta, a Latinis inductio. Ex syllogismo fit
Enthymema, quod commentum nominamus: sicut ex
inductiõe exẽplum atq; similitudo. Syllogismus itaq; Syllogismus.
ut dictum est, oratione siue simplici siue connexa con-
stat triplici prima, propositio: secũda, assumptio: ter
tia, complexio appellata. qui cũ pluribus fiat modis,
eos longius prosequendos non ducimus: tum quia sim
plicem arguẽdi quæris callẽ (ut rhetores quoq; docẽt)
& sequuntur oratores: non per multarum disciplinarũ
inuios anfractus te uelis detorquere: tum quia si modo
id scire concupiscas, possis ex magno nostro opere ex-
petẽdorum ac fugiendorũ perexiguo negotio quicqd
uelis tibi depromere. In totum, omnis argumentatiõis
ratio hoc habet, ut tribus limitibus constet: uno, quem
indubitatum esse conuenit: altero, qui medius est: ter-
tio, qui ex cõsensu fit utriusq;: ut omne animal est sub-
stantia animata sensilis: hic caret cõtrouersia. Crocodi
lus est sustantia animata sensilis: hic medius limes, ex-
trema cõnectens: ergo crocodilus est animal: hic ex cõ
sensu superiorum conficitur. Ex syllogismo Enthyme Enthymemã.
ma conficitur. id de propositione aut assumptione con
cluditur: ut si probabile texas argumentum hoc mo-
do, Aeschynæ tradenda non est pecunia. quandoq; pe-
cuniam capiens Pisistratus, tyrãnidem occupauit. uel
hic noctu obambulat, fur ergo est. Inductio autem ex Inductio.
pluribus

pluribus aut exēplis aut similitudinib⁹ cōficitur. si de hominibus, exempla sūt: sin de cæteris, similitudines. uelut si fuerit quæstio: an is demum homo dicendus sit generosus, qui clarissimo natus genere, per inductionem argumentabor hoc modo. Quis nam clitellarius mulus generosus est, nonne qui ingentia subuectat onera? quid dorsuarius, nōne qui gressu incedit lenissimo? non qui de stirpe ortus clarissima? Pomum quod uocabis generosum, nonne quod saporis electissimi? non qđ de pulcherrima arbore? aut de amœnissimo decerptum loco? Ita ergo hominem quem generosum uocaueris? nonne qui uirtutibus nobilitatus est? non qui maioribus ortus sit eminentissimis. hæc Inductio. Exemplum est, ut a priuato homine Gracchus mediocriter statū reipublicæ labefactans, impune occisus est: & cōsul Cicero Catilinam orbem terrarum subuertentem, impune non occiderit? Similitudo quoq; de rebus eodem modo comparatur atq; extruitur.

Exemplum.

AD.D.DOCTOREM, EXCVSATIO DEDI-CATI PARVI OPVSCVLI.

HVNC LIBELLVM PROGIMNASMATA quędam dialecti
cae continentem, doctor eximie, ſub tuo anſpicio, ingenuis adole
ſcentibus, & huius diſciplinæ tyronibus, exhibere non dubitaui,
licet eum longe minorem eſſe q̄ qui tui nominis patrocinium præ
ferre debeat, non eſſem neſtius, attamen cum ſtudioſorū tyrocinijs
aptum, & ſpacioſum dialecticę campum ingreſſuris, ad libros Ari
ſtotelicos, eoſq̧ quos tu tuo marte, ſepe anroſis vnguibus, in ſtudi
oſorum vſus concinnaſti, intelligendos, iſagogen non inutilem fu-
turā, michi petſuaſiſſem, perfricui frōtē, & ut eum ſub tuo nomine
emitterem, ſtetit ſentencia, ob eam potiſſimum cauſam, ut animum
meum, pro tantis in me beneficijs, non ingratum oſtenderem. Itaq̧
cum veteri prouerbio, munerum animus optimus ſit, te non libelli
exilitatem, ſed animum Criſtophori tui, tibi dediriſſimum, eſtima-
turum confido, quem ad longe maiora offerēda, ſi res ſimilis affe-
ctibus eſſet, paratiſſimū fore credas velim. Qđ ſi farre, & mola ſal
ſa litant, qui thnra non habent (ut inquit Plinius) hūc libellum qua
lis qualis eſt tibi dicatum te boni conſulturū, michi perſuadeo, pre
ſertim ſi eum ſtudioſis non inutilem, mecum exiſtimaueris. Nā niſi
me fallit iudiciū in illo licet breui, velꝰ in vno ſaltu, duos apros ca
piēt ingenioſi lectores, res videlicet et verba, eritq̧ ingenio excolen
do, & linguę comēdę, pariter idoneꝰ. Sed de his doctor excellētiſſi
me tuum iudicium, delphicum reſponſum putabo. Vtcumq̧ autē
res ceſſerit ſi nulla alia dote, ſaltem breuitate. hunc tibi non diſplici
turum cōfido, quā ne mea verboſitate perdat, Verbum non ampli
us addam, me precor commendatum habe, & vale, te ſaluſi, ac flo
rentem tibi, & ſtudioſis omnibus, ſupramundamus conſeruet Iupi-
ter opto, ac precor, ex contubernio Germanorum.

